



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

5 Donatio episcopi, aut beneficiarij, siue sani, siue infirmi, inter viuos, & ad pia valet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

De Donationibus.

SYMMARIVM.

- 1 Donatio sub modo iusto, vt licita sit, qualis esse debet.
- 2 Parentes, qui filios alere non tenentur, in dubio expensas pro illis de illorum bonis facere censentur.
- 3 Donatio inter viuos a nupta sine assensu mariti facta est nulla.
- 4 Donare potest beneficiarius ad pia dum viuit, etiam ad cultum diuinum destinata.
- 5 Donatio episcopi, aut beneficiarij, siue sani, siue infirmi, inter viuos, & ad pia valet.
- 6 Regularis omnia, quæ ante, & post professionem habet, Monasterio acquirit.
- 7 Donatio intra duos menses ante professionem facta, quædo valida sit.
- 8 Donatio omnium fructuum Episcopatus a solo separatorem, quid includat.
- 10 Lex prohibens patri, ne aliquam partem bonorum dare possit, qualiter intelligenda.
- 11 Donatio causa mortis, cum clausula. (De non reuocando.) quando valet.

DECISIO I.

Ex cons. 1. in vtrisque.

- 1 Donatio, qua quis alteri donatione irreuocabili inter viuos ea lege mille donat, vt donatarius ei singulis annis vitæ ipsius centum soluat, & ita vt mortuo donatore nihil heredibus debeatur, iusta est, non solum ex eo quod contractus donationis modalis a lege non improbatæ licita est; ex toto tit. de donat. quæ sub modo, sed etiam ex eo quod donator subit periculum perdédi magnam partem illorum mille, quæ donat; Nam si paucis, vel nullis annis vixerit longe minus, quam donauit: accipiet, vel forte nihil capiet, & subito periculi iusta est causa suscipiendi aliquid vltra id, quod datur, l. 1. & 2. C. de nautico fan. & c. si. de vltur. & Dec. consil. 123.

DECISIO II.

Ex cons. 2. deest in Nouis.

- 2 Parentes, qui filios, aut filias alere non tenentur, & ne gotia eorum gerentes, impensas de bonis filiorum, & non de suis proprijs, in vtroque foro facere censentur; nisi in foro conscientie præfatas impensas non tanquam gestrices negotiorum filiorum, sed animo donandi, & non repetendi eas fecerint, l. si quis liberis. §. si mater. ff. de liber. agnos. quia in illo foro non præsumptioni, sed veritati statuit. c. Humanae aures. 2. 2. q. 5. & cap. is qui. c. ma. de spotal.

DECISIO III.

Ex cons. 3. deest in Nouis.

- 3 Mulier coniugata promittens alicui, quod relinquet illi bona sua, si neptem suam in uxorem duxerit, conditione impleta, promissionem seruare non tenetur, imò iuste eam reuocare potest, quia licet promissio legitime facta seruanda sit, l. 1. ff. de cond. causa data, causa non, sed adeo vt sine peccato reuocari non possit, c. 1. de pactis, & ex Nau. in Man. cap. 18. num. 6 quia tamen donatio inter viuos a nupta sine licentia, & assensu mariti fieri nequeat, non adimplendo, & reuocando promissum non peccat, & cui facta est promissio sibi ipsi damnum imputet, qui sciens, aut scire debens, non potuisse coniugatum sine licentia mariti talem promissionem facere, conditionem tamen adimplere voluit: Nam scienti, & consentienti non fit iniuria, aut dolus. cap. Societatis. de reg. iur. in 6.

Ex cons. 4. deest in Nouis.

- 4 Donatio beneficiarij, qua capella cuidam, in qua elegit sepulturam per duos annos antequam moreretur, vasa, & bona donauit, adeo valida censetur, vt non obstante constitutione Pij V. super spolijs clericorum; Extrau. Romani. adit. ann. 1567. const. 44. capella illa, ab ecclesia ipsius beneficiarij illa sibi repetere volente, se defendere, & iuste sibi retinere potest, non solum si bona, & vasa data, ad vsum diuinum destinata non fuerint, sed etiam si ad eundem cultum diuinum fuerint deputata fuerunt præfata capella duobus annis ante obitum beneficiarij; cum tamen præfata Bulla nec de omnibus bonis beneficiariorum, sed tanquam destinatis ad vsum, & cultum diuinum disponat, nec etiam de omnibus ad vsum, & cultum diuinum deputatis, sed de illis solum, quæ tempore obitus beneficiarij ex testamento, vel ab intestato inueniuntur relicta, in quibus ecclesia beneficiarij viuiture Bullæ illius succedit.

DECISIO V.

Ex cons. 5. alias 4.

- 5 Donatio ab episcopo, aut aliquo alio beneficiario facta inter viuos de redditibus episcopatus sui aut beneficij ad opera pia valet, non solum si ea fiat sanus, sed etiam agrotus, & in infirmitate exstans; ex eo quod beneficiarius omnis, siue sanus, siue infirmus, superflua suæ sustentationi in pijs operibus impedere tenetur; c. 1. 16. q. 1. neque per infirmitatem suos titulos amittit, aut facultatem dandi bona sua pauperibus; cap. ma. de cler. agrot. & c. ad hæc. de testam. Donatio autem beneficiarij agroti facta sub hac forma, Si eam intra duos menses non reuocauero; donatio inter viuos censetur, & non donatio causa mortis. Adeo vt siue ante duos menses moriatur, siue multo tempore viuat, dummodo eam non reuocet, valida & efficax iudicari debet ad effectum, vt donatarius legitime bona data possidere valeat, nec collecti spoliatorum villa ratione debeat.

DECISIO VI.

Ex cons. 6. alias 2. & 4. de peculio cleric.

- 6 Regularis per professionem omnium bonorum patrimonialium, quæ ante professionem habebat, & capacitatem habendi dominium illorum, vel aliorum in tota sua vita perdit; ita vt omnia, quæ ante, & post professionem habet, per illam facta sunt Monasterij, vel Religionis, nec ea alicui per vltimam voluntatem, aut per donationem causa mortis, quæ quod ad hoc equiparantur, donare valet.

DECISIO VII.

Ex cons. 7. & 8. alias 81. & 82. de regular.

- 7 Quamuis donatio intra duos menses ante professionem cum licentia Episcopi, aut Vicarij facta, valida sit; Renunciatio tamen aut donatio bonorum facta occasione futuri ingressus in religionem ab eo, qui Religionem nondum ingressus est, neque habitum suscepit, cum pacto, quod in omnem euentum, in quem dictus donator ante professionem a Monasterio exiret, dicta donatio esset nullius momenti; & inuvalida, & contra Concilij Tridentini decretum. sess. 25. cap. 16. de regul. facta censenda esse, neque donatarius ratione illius, bona sic donata, aut renunciata iuste retinere potest; quia actus contra formam substantialem a lege prestituta factus non valet, cum dilecta, de rescript. præsertim quando sit contra formam substantialem legis continentis clausulam irritantem, l. si. C. de legibus. qualis est forma præfata Concilij irritans omnem donationem factam inuitu ingressus religionis ante duos menses proximos professionis faciendæ.

DECISIO VIII.

Ex cons. 9. alias 3.

- 8 Cum beneficiarius omnis in fructibus percipiendis usufructuario similis sit, Gl. in c. si propter. ver. primi. anij.